

DISSERTATIO  
DE VITA PATRIARCHARUM LONGISSIMA,  
CUJUS  
PARTEM POSTERIOREM,  
CONSENTIENTE AMPLISS. FACULT. PHILOS.  
ABOËNSI,  
PRÆSIDE  
JOHANNE BONSDORFF,

*Litter. Græcar. Professore ordinario,*

PRO EXERCITIO  
publice ventilandam exhibet

LAURENTIUS HOMÉN,

*Stipend. publ., Satacundensis,*

In Audit. Philosoph. die XVIII Junii MDCCCXVII.

h. p. m. f.

---

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.



Atque hoc quidem tanto majori jure colligere liceat, quo certius sit, libros Arabum Historicos genealogiis, quæ ad Ismaëlem usque, gentis progenitorem, immo Noachum, ascendunt & ne syllaba quidem, nisi in eo, quod nullam annorum, neque natiuitatis, nec mortis, mentionem injiciant, Sacrorum Oraculorum auctoritati repugnant, esse referros, atque in genere quoque multas ac magnas res gestas describere, quo autem seculo gestæ fuerint, intactum plane relinquere d). Tacemus, omnem, in cæteris bene multis Pentateuchi genealogiis, desiderari chronologiam. 4to Cæterarum gentium antiquissimarum abunde testatur chronologia, omni probabilitatis vel specie eandem esse destitutam. Quis enim unquam sibi

C

sibi

---

quam, inde ab ipsius gentis origine, sedibus suis turbati fuerint & ab aliis gentibus, quæ suos immiscere potuissent mores, subjugati, verum sibi semper relictæ & ab aliarum gentium consortione remoti, vitam, quam majores duxere, hodie quoque exercent pastoritiam & umbratilem. Neminem namque fugit, Bedouinos inaccessa adeo habitare deserta, ut quotquot domicilia eorum infestare sint ausi, aëris solisque intemperie vexati, aut in æquoribus arenosis vastissimis, quibus tanquam muris haud facile transcendendis inclusi sunt Scenitæ, fato succumbentes misere perierint, aut pedem, salutis suæ prospicientes, cito citius referre, habuerint consultissimum.

d) V. MICHAËLIS *Chronol. a diluv. l. c.* & EICHORN *monumenta &c. p. 4, 5.*

sibi persuadebit, Dynastias *Sinarum* vetustas plura centena millia annorum exceperisse e), itemque *Chaldaeos* f), & *Ægyptios* g), plurimis annorum millibus ante diluivium, h. e. longe ante mundi natales secundum chronologiam Hæbræorum, floruisse? Nonne potius, infinitos holce numeros e vulgari gentium antiquarum de antiquitate sua se efferendi consuetudine originem ducere, dixeris? 5:to Vel ex ipsa LXX interpretum Codicumque Samaritanorum a textu Masorethico discrepantia & systematica correctione conijcere datur, Samaritanos, & τοὺς ὁ, suspectam habuisse chronologiam Hebræorum, atque propterea neque religioni sibi duxisse, ab eadem discedere, aliterque annorum, & numeros, & proportiones, uterque ex suo systemate, ordinare h). 6:to Denique accedit

e) v. *Extraits des Historiens Chinois* par M. LE ROUX DES HAUTES RAYES apud GOGUET de *l'origine des loix* &c. T. III, p. 580 f.

f) v. fragmenta e BEROSO, Chaldaicarum antiquitatum scriptore, ap. SYNCELLUM *Chronogr.* p. 14 sequ. coll. p. 28 Edit. Paris., itemque CICRONEM de *divinatione* L. 1, C. XIX.

g) v. Excerpta e MANETHONE, rerum Ægyptiacarum scriptore, apud SYNCELLUM laudatum p. 51, & EUSEBIUM *Chron. Gr.* p. 6.

h) AUGUSTINUS de *civitate Dei* L. XV, C. XIII. LXX in-



accedit, expressa fictionis systematicæ in ipsis quoque numeris Hebraicis adesse vestigia. Quid enim aliud quam systema innuit, quod omnes Patriarchæ ante diluvium, solo Chanocho, qui præmatura morte abreptus sistitur, excepto, ad enormem senectutem æquabiliter fere pervenerint, Patres vero postdiluviani ætate ita degenerarint, ut Schemus binas, illum autem ordine excipientes Arphaxad, Schalach, Eber dimidiam, reliquique non nisi quartam (Nachor tamen aliquanto minorem) annorum, quos vixerant Patriarchæ antediluviani, partem attigerint? Licet namque causam præcipitis adeo annorum diminutionis in effectibus diluvii ut plurimum quærant interpretes, quin & in eo multum operosi sint BURNET *i*) & HOFER *k*), ut omnem rei culpam conferant, alter quidem, in aëris, diluvio investam & nondum antea existentem, mutabilitatem atque intemperiem, alter autem, in carnium præcipue, non nisi post diluvium, ut ponit, usitatum, esum; sole tamen clarius est, hæc omnia insignissimam annorum

C 2 inæqua-

terpretum systema ex eo, quod annos Patriarcharum promentibus habuerint, repetit.

*i*) *Telluris theoria sacra* L. II, C. II — IV.

*k*) *Dissert. de possibilitate physica longævitatæ Patriarcharum antediluvianorum* (*Actorum Helveticorum* Vol, III p. 169 l.).

inæqualitatem explicandi pericula ejus esse indolis, ut sanioris, neque Physices, neque Physiologiæ præceptis possint conciliari. Quemadmodum enim ex altera parte certum est, terram, utpote ab oceano, quod jam supra monuimus, genitam, vitæ hominum fataliorem, quam cum primitus aquarum exiret gremio, fieri non potuisse diluvio, frustra que omnino & contra æternas naturæ leges non minus quam ipsam Historiam creationis (*Genes. II. 5, 6*), ex male intellecta de Iride post diluvium apparrente (*Genes. IX. 12* s. narratione, pluviam ut antediluvianis prorsus ignotum haberi Phænomenon *l*); ita neque ex altera parte negari poterit, hominem natura sua ad animalia pertinere carnivora *m*). Esto autem, aquas post diluvium stagnantes malignam in corpora hominum

---

*l*) Immo HALLER L. c. XXX §. XXI p. 120 pluviam diluvio effusam, regioni, in qua primi homines habitarunt, novam fuisse statuit.

*m*) HUFELAND l. c. P. I, S. V p. 20, 21, etiam ex eo argumento Henclerianam hypothesein laudat, quod, eadem interpretata, explicari non poterit, quare ætas humana præterlapso diluvio ad dimidiam partem imminuta fuerit; quasi eadem non maneret inter numeros proportio, sive annos solares, sive trimestres intellexeris! SCHRÖTER vero l. c. p. 56 præcipitem, hancce diminutionem impugnaturus, Arphaxado vitæ annos DXXXIII attribuit; unde autem numerum illum acceperit, Deus noverit.

num exseruisse vim; quomodo tum quidem, quæsumus, factum est, ut Noachus & Schemus, qui proxime ad diluvium vixerunt & mala ista proprie perpessi sunt, nihilo tamen minus ætate grandiores ac posterius e vita discesserint, alter scilicet vitæ anno nongentesimo quinquagesimo (*Genes. IX. 28, 29*), ætate hominum antediluvianorum solita, alterque anno ætatis sexcentesimo, cæteri vero, terra jam dudum plane exarefacta (*Genes. VIII. 13, 14*), ætate, non sensim atque sensim, sed duplici tantum gradu, maxime, ut diximus, præcipitanter decreverint? Num credibile est, Noachum & Schemum, utpote ante diluvium natos, nobilioris materiei & naturæ fuisse, quam posteros? Annon potius credere fas est, tabulam hancce scalam fictam esse e quodam numeros gradatim imminuendi systemate? Neque, ut opinamur, obstat, quod tantopere urget MICHAËLIS *n*), numeros hosce ubique non esse rotundos; potuit namque auctor, ut fictionis suspicionem vitaret, id quidem consulto effugere. Plurimos tamen annos, imprimis qui Noachum & Schemum *o*) spectant, rotundos esse, quis est quin videat? Quod, si vero porro, quæ inter annos generatio-

---

*n*) *Neue Orient. Bibliothek Th. IX p. 205.*

*o*) Schemo tribuantur vitæ anni DC, haud forsan alia ex causa, quam quod *annus Judæorum magnus* totidem, teste JOSEPHO *antiquit. Jud. L. 1, C. III S. IX*, absolvatur?



nerationis in utraque tabula occurrunt, proportiones spectaveris, novum habebis pro fictione systematica argumentum. Videbis scilicet tum, Patriarchas antediluvianos, fero admodum & cum jam provectæ essent ætatis, filios ipsis attributos genuisse, postdiluvianos vero (Schemum, jam ante diluvium genitum, si exceperis) ætate multo juniores sua παιδογονίας edidisse specimina; quod quidem, si vel plerisque primogenituram denegaveris, non casu evenisse, verum utique ad tabularum systema pertinuisse censendum est, ne scilicet, quæ in toto regno animali inter annos pubertatis & vitæ deprehenditur norma & proportio, hic prorsus videretur neglecta. Non enim ex antediluvianorum esse potuit moribus, ut, annos pubertatis semel assecuti, diu abstinerent a venere vel, si ita placet, a matrimoniis. Multo minus conveniet, annos eorum pueriles, proportionaliter ad vitæ summam, longius, quam nostra ætate, cum nonnullis extendere p). Quomocunque vero pueritiam hominum antediluvianorum computaveris, maxime tamen

---

p) BUFFON l. c. p. 359, 60, in gratiam suæ, supra commemoratæ, hypotheseos, generandi facultatem non nisi anno centesimo viceesimo vel trigesimo apud primos homines explicatam fuisse, contendit; atque idem fere sentit HALLER L. c. §. XIV. — At neque Adamus, τελειος quamvis ανηρ creatus, prius quam anno centesimo & trigesimo genuit Sethum,



men absolum fuerit & omnibus principiis physiologicis repugnans, statuere, Noachum revera genuisse Schemum anno ætatis suæ quingentesimo. Videtur contra Historiographus hocce numero illato illud speciatim habuisse consilium, ut, quoniam genus humanum, ex suo systemate, excepto solum Noacho ejusque familia, diluvio erat extirpandum, Patriarchis Noacho majoribus, atque inter eos quoque Methusalæ, cujus vitæ terminus in ipsum jam incidit annum diluvii, honoris ergo cautum esset, ne aquis inundantibus dicerentur misere obruti. Quas enim cæterokin maximæ serotinæ generationis pepererunt antiquiorum interpretum ingenia, rationes, usque adeo improbables sunt & prope ridiculæ, ut vix recensione, nedum refutatione, sint dignæ. Sic ex. gr. dicunt, singulari Dei providentiæ tribuendum esse, quod nonnisi ætate maxime proventus liberos generare cœperit Noachus eo usque sterilis, quippe alias numerosæ adeo prolis fieri potuisset auctor, ut impossibile sibi fuisset, eandem postea arca sic dicta excipere, & quæ sunt similia. Neque omnino audiendus est HENSLER *g*), qui, ut anno generationis Noachi incredibili sese expediat, aut numerum, quem exhibet lectio Masorethica, justo majorem, librariorum incuria loco minoris esse substitutum, aut etiam Schemum

---

*g*) l. c. p. 296, 297.

num pro nepote vel pronepote Noachi habendum esse, conjicit; hac enim ratione nodus non soluitur, sed rumpitur.

Nulli ergo dubitamus, quin omnes in tabulis hisce genealogicis ficti sint numeri. --- Sed neque aliter, ut suspicamur, se habent annorum numeri in reliquorum Patriarcharum historia. Hujus vero rei vix gravius & illustrius dabitur documentum, quam Saram, Abrahami uxorem, perhibente historia Moisaica *Genes. XVII. 17. coll. XVIII. 10 s. XXI. 1 s.*, anno ætatis nonagesimo, & quidem quum jam menstrua pati desierat, filium concepisse Isaacum: quasi vetulæ, cui hæc defecerint, possibile esset, contra datas & ab artis Machaoniæ magistris dudum agnitas naturæ leges, concipere. Neque melius, ut nobis saltem persuasum est, sibi constant annorum numeri in Ismaëlis historia. Legimus scilicet, Ismaëlem natum fuisse anno Abrahami octogesimo sexto (*Genes. XVI. 15, 16*), atque etiam patre annum agente undecentesimum, filium egisse tredecimum (*Genes. XVII. 24, 25*); & tamen eundem Ismaëlem, cum frater Isaacus ablactandus esset, materque Hagar cum ipso paterna ejiceretur domo (quod quidem hoc pacto factum videretur anno Abrahami centesimo secundo, quia centenarius erat nato Isaaco *Genes. XXI. 5*, multoque serius quam apud nos liberos suos olim ablactarint), ut puerum parvulum, quem siti enectum  
 humi

humi deposuerit mater, *Genes. XXI. 15 s.* habemus descriptum r). Quod si autem in his numeris & calculis manifesto sit error, quid jam de vitæ annis Abrahamo, Isaac & Jacobo attributis erit sentiendum? Nonne in horum, ut & reliquorum in Pentateucho commemoratorum macrobiorum, vitæ annis, utpote magis magisque in genere decrefcentibus, idem, quod in tabulis nostris genealogicis, systema, ne Mose quidem, cujus vitæ anni in tres æquales epochas videntur distributi s), excepto, facile agnoveris? An probabilius tibi videbitur, quod vulgo statuunt, homines postdiluvianos, ad instar arborum, quæ, a solo natali ad pejus & solum & clima traductæ, primo quidem male se habent, tandem vero, loco, deteriori quamvis, adfuetæ, nullis amplius mutationibus obnoxixæ perstant t), sensim atque sensim ætate decreviffe

D

viffe

---

r) Hoc quoque argumento utitur HENSLER. l. c. p. 319 ad fidem suæ conjæturæ faciendam; sed frustra. Præterquam enim quod non magis credibile sit, Hagarem humeris vel gremio suo gestasse undecim annorum filium ut ex allata sequitur hypothesi, quam si sedecim annorum fuerit puer, scire utique vellemus, quonam jure anni intelligantur octo mensium, cum nulla ejusmodi annorum cæteroquin in historia antiquarum gentium occurrant exempla, nulloque pacto deceat, eosdem e duplicatis Aegyptiorum annis quadrimestribus cum HENSLERO repetere.

s) Cfr BAUER *Gesch. der Hebr. Nation Th. I. p. 248, 249.*

t) Utitur hac, per se quidem egregia, sed rei minime, ut.



villse, donec ævo demum Davidis" fixus '& constanter permanens fuerit vitæ humanæ terminus?

Tantum tamen abest, ut improbables, qui jam existant, numeros, Librariorum vicio, quemadmodum nonnullorum fert opinio, loco minorum suppositos esse credamus, ut potius ipsum auctorem Pentateuchi, quo Historiæ Israëlitiæ, longe post Mosis tempora a se conditæ u), primordia, ex more priscorum, augustiora faceret v), tabulas genealogicas a majoribus acceptas chronologia hacce mirabili ingenio

---

ex supra dictis apparet, congruente, similitudine SHUCKFORD *Harmonie der Heiligen und Profan Scribenten Th. I, p. 23.*

- u) Mosen, si vel quidquam a se scriptum reliquerit, Pentateuchi, qua jam conspicitur forma, non esse, aut esse posse, auctorem, nostra utique ætate extra omnem dubitationis aleam est positum. Utrum vero Davidicis temporibus, quod quidem pluribus probare annitur BAUER L. c. Th. I. p. 236, an prius, prodierit, in medio relinquimus. Certum tamen est, quam quod certissimum, Auctorem Pentateuchi, non sola traditione opus suum superstruxisse, verum sæpius quoque antiquis fragmentis usum fuisse, quæ integra haud raro, si vel aliquando amplificata, intexerit.
- v) Hinc LIVIUS in præfatione: "*Datur hæc venia antiquitati, ut miscendo humana Divinis, primordia urbium augustiora faciat.*



genio suo supplevisse & illustrasse, arbitremur. Solent quippe, ut bene, introductionis loco in antiquissima Arabum monumenta historica, observat EICHHORN x), qui post inventa litterarum elementa sequiori ætate præclara majorum facinora litteris consignant, famam aliquam popularem, post varia discrimina adhuc superstitem, sequi, atque ad pauca certa, quæ acceperunt, sua addere, multa refingere & detrahere, fama populari tanquam certo fundo uti, atque incerta superstruere. Neque timendum erat auctori, ne his suis supplementis genealogias istas lectoribus suspectas redderet. Neminem namque fugit, homines in genere temporis acti esse laudatores, priscoque ævo, quo mirabilius sonarint, eo magis placuisse de majoribus fabulas. Valeat itaque de veterum *μακροβιωτεροις* idem iudicium, quod de eorum gigantibus.

Cave interea credas, ipsas genealogias fide esse dignissimas. Si enim vel maxime concedamus (quod neque per se improbable est, cum omnium fere gentium antiquissima monumenta historica sint *genealogica*), jam ante diluvium genealogiis operam dedisse homines, atque has quoque, ut & cæterorum Patriarcharum stemmata, usque dum memoriæ succureret divina scribendi ars, traditione orali, ad in-

star

---

x) Monumentorum &c, p. 3.

star carminum HOMERI, Legum LYCURGI, selecto-  
rumque CORANI capitum, quæ quidem omnia me-  
moriter initio recitata, potuisse propagari a); restant  
tamen scrupuli, quos non facile erit evellere. His  
vero annumeramus, tabulam Patriarcharum, & an-  
tediluvianorum ab Adamo usque ad Noachum, &  
postdiluvianorum a Schemo usque ad Abrahamum,  
æqualem generationum numerum, denarium scilicet,  
Judæis sacerrimum, exhibere, ipsumque nomen *Ada-  
mi* proprium, significatione sua satis arguere, illud  
saltem esse fictitium. Cum enim *Adam* proprie *ter-  
ram* (אדם) significet, notissimumque sit, vel Græ-  
cos olim, gentes de quarum in terram quandam ad-  
ventu nihil ipsis rescire licuit, tanquam *terra genitos*  
(γενεῖς) sibi concepisse b), haud quidem a vero vi-  
detur abhorrens, Israëlicas quoque, aut si mavis,  
eorum majores, ubi Patrum catenam illico abru-  
ptam animadverterent, eidem ut *πρωτογονον* præmi-  
sisse *Adamum* (*terræ quasi filium*), atque sic forsan  
ansam dedisse famosissimi, unde gentis Israëliticæ  
exit historia, de creatione philosophematis, in quo  
idem Adamus e terra fictus proponitur. Adamum  
præte-

---

a) Immo Arabes genealogias suas ligata oratione olim ex-  
posuisse, Auctor nobis est POCOCCO *Specim. Hist. Arab.*  
p. 158.

b) V. PLATONIS *Menexenum* C. VII.

præterea totidem, atque Noachum, filiorum patrem perhiberi, systema æque fere redolet, ac Abrahami fratrem Nachorem, filiumque Isinaëlem, nepotemque Israëlem, filios habuisse *quisque duodecim c*). Quoniam scilicet novus ille generis humani parens, Noachus, nonnisi tres filios, quorum ope incolis denuo instructus fuit orbis, habuit, necesse erat, ut neque plures concederentur *πρωτοπατρισι*, & vice versa.

Veri itaque videtur simillimum, Hebræorum non minus, quam cæterarum gentium, Historiam & genealogiam antiquissimam fabulis systematicè adornatis involutam esse & superstructam, temporumque rationes frustra omnino ex iisdem definiri. Revo-cent autem sibi, qui de mundi curiosius inquirunt senio, in memoriam, multa in ipsis terræ nostræ vicinibus occurrere, quæ geogoniam Mosaicam funditus subvertant, documenta, totumque, quod admirabundi spectamus, universum, opus esse *æterni* Numinis.

---

c) Cfr. *Genel.* XXII. 20 — 24, XXV. 12 — 15, XXXV, 22 — 26.

# T A B U L A I.

## Patriarcharum Antediluvianorum.

<i>Nomina Patrum,</i>	Annos vixit								Summa anno- rum vitæ	
	Ante filium ge- nitum.				Post filium ge- nitum.					
	Hebr.	Sec.	Sa- mar.	LXX	Hebr.	Sec.	Sa- mar.	LXX		
<i>Adam</i>	130	130	130	230	800	800	700	930	930	930
<i>Seth</i>	105	105	105	205	807	807	707	912	912	912
<i>Enos</i>	90	90	90	190	815	815	715	905	905	905
<i>Cainan</i>	70	70	70	170	840	840	740	910	910	910
<i>Mahalalel</i>	65	65	65	165	830	830	730	895	895	895
<i>Jared</i>	162	162	162	162	800	785	800	962	847	962
<i>Enoch</i>	65	65	65	165	300	300	200	365	365	365
<i>Methusala</i>	187	187	167	167	782	653	80	969	720	969
<i>Lamech</i>	182	182	55	188	595	600	565	777	653	753
<i>Noah</i>	500	500	500	500						

T A B U L A



TABULA II.

Patriarcharum Postdiluvianorum.

Nomina Patrum	Annos vixit								
	Ante filium genitum			Post filium genitum			Summa annorum vitæ		
	Hebr.	Sec. mar.	Sa- ( ) LXX	Hebr.	Sec. mar.	Sa- LXX	Hebr.	Sec. mar.	Sa- LXX
<i>Sem</i>	100	100	100	500	500	500	600	600	600
<i>Arphaxad</i>	35	135	135	403	303	430	438	438	565
<i>Cainan</i>	0	0	130	0	0	330	0	0	460
<i>Schalach</i>	30	130	130	403	303	330	433	433	460
<i>Eber</i>	34	134	134	430	270	370	464	404	504
<i>Phaleg</i>	30	130	130	209	109	209	239	239	239
<i>Reu</i>	32	132	132	207	107	207	239	239	239
<i>Sevug</i>	30	130	130	200	100	200	230	230	330
<i>Nachor</i>	29	79	79	119	69	119	148	148	198
<i>Therach</i>	70	70	70	135	75	205	205	145	275

\*) In tabula priore Codex Vatticanus, qua omnes numeros, conspirat cum Alexandrino; in hac vero posteriore aliquantum discedit. Attribuit scilicet Vatticanus Arphaxado, post filium genitum, annos 400 tantum, adeoque in summa 535, Ebero, item post filium genitum, nonnisi 270, adeoque in summa 404, Nachori autem, ante genitum filium 179, post vero 125, itaque in summa 304.

Table 1

Year	1980	1981	1982	1983	1984	1985	1986	1987	1988	1989	1990
1											
2											
3											
4											
5											
6											
7											
8											
9											
10											
11											
12											
13											
14											
15											
16											
17											
18											
19											
20											
21											
22											
23											
24											
25											
26											
27											
28											
29											
30											
31											
32											
33											
34											
35											
36											
37											
38											
39											
40											
41											
42											
43											
44											
45											
46											
47											
48											
49											
50											
51											
52											
53											
54											
55											
56											
57											
58											
59											
60											
61											
62											
63											
64											
65											
66											
67											
68											
69											
70											
71											
72											
73											
74											
75											
76											
77											
78											
79											
80											
81											
82											
83											
84											
85											
86											
87											
88											
89											
90											
91											
92											
93											
94											
95											
96											
97											
98											
99											
100											

The following table shows the results of the experiment. The data is presented in a table with 10 columns and 10 rows. The first column represents the year, and the subsequent columns represent the results for each year. The data is as follows: